In nomine domini nostri Jhesu Christi. Cum multe et diverse ac varie questiones peticiones seu contenciones per longa tempora fuerint super multis variis et diversis rebus inter illustrem virum dominum Rogerium Bernardi dei gratia Comitem Fuxen. et vicecomitem Castriboni et suos predecessores ex una parte. Et venerabilem dominum P. divina miseracione Urgellen. Episcopum et predecessores suos et Ecclesiam Urgellen. ex altera. Racione quarum multa et gravia dampna ab utraque parte sunt illata. videlicet homicidia incendia, rapine, mutilaciones membrorum hominum ac multa alia enormia et quasi inenarrabilia maleficia sunt secuta. Tandem predicti interventu domini Xarbin dei gratia Episcopi Valentini. Et nobilium magistri Bonanati de Lauriana (?) Canonici Narbonen. Collectoris decime a summo Pontifice deputati in Regno Aragonie. Et magistri Raimundi de Bisulduno archidiaconi Tarracon. Raimundi de Urgio. Isarni de Fanjaus. et Guillelmi Raimundi de Josa amicabilium compositorum de omnibus supradictis questionibus peticionibus seu contencionibus. Venerunt ad finem et amicabilem composicionem partibus consencientibus sub forma inferius comprehensa. In primis super valle seu vallibus de Andorra fuit pronunciatum seu determinatum per predictum dominum Valentinum Episcopum et alios nobiles. Quod amodo imperpetuum dominus Urgellen. Episcopus et sui successores anno suo faciant et possint facere questiam hominibus vallis seu vallium de Andorra usque ad quantitatem quatuor milium solidorum Malgurien. sine contradiccione Comitis et successorum suorum. Ita tamen quod dictam quantitatem non possint excedere ipse vel successores sui. Et dominus Comes Fuxen. et successores sui alio suo anno possit facere questiam dictis hominibus de Andorra ad voluntatem suam sine contradiccione Episcopi et successorum suorum et Ecclesie Urgellen. non taxata sibi certa quantitate. Et hoc possint facere imperpetuum. Et sic possit fieri de anno in annum. Et quod in primo presenti anno faciat questiam dictus dominus Comes Fuxen. dictis hominibus vallis seu vallium de Andorra. Item fuit pronunciatum per eosdem super capitulis justiciarum et meri imperii. quod semper bajuli predictorum dominorum Episcopi et Comitis communiter et simul exerceant merum imperium in dictis hominibus de Andorra. videlicet maiores justicias mediocres et minores. Et omnia que pertinent vel pertinere debent ad merum et mixtum imperium atque jurisdiccionem. Et simul capiant ac captos teneant delinquentes. Et si causam forte super contingerit ordinari bajuli predictorum dominorum simul et communiter dictam causam ordinent judicem assignando. Et ipsam eandem causam usque ad diffinitivam sentenciam ordinando vel facientes etiam ordinari et sentencias nichilominus simul exsequi mandent. Et si forte contingerit alterum de predictis bajulis ex aliquo casu abesse. qui presens fuerit possit predicta facere ordinare seu exsequi. Ita tamen quod in quacumque ora bajulus qui absens fuit venerit. per illum qui presens fuit admittatur. nec per hoc dicto bajulo absenti prejudicium aliquod paretur. nec usus seu aliqua observancia possint trahi contra aliquem dominorum predictorum. ... Et si forte evenerit quod pro aliquo delicto crimine seu excessu causa aliqua ordinata fuerit per predictos bajulos et pecunia inde recepta fuerit soluta. per sentenciam vel per aliquem modum composicionis semper dominus Episcopus et sui successores habeant de predicta pecunia quartam partem. Et dominus Comes Fuxen. et sui habeant tres partes. Semper tamen fiat talis composicio pecuniaria super premissis de communi consensu ipsorum bajulorum si ambo presentes fuerint. Set si alter absens fuerit ut supius dictum est. ille qui presens extiterit possit predicta ducere ordinare componere seu facere exsequi tam nomine suo quam absentis. Caveant tamen semper domini et bajuli predicti tam presentes quam absentes quod circa presenciam seu absenciam vel circa predicta negocia tractanda dolum non committat aliquis neque fraudem. Set bona fide ac bona intencione predicta incipiant ducant et finiant seu componant. Habeat autem dictus nobilis Comes Fuxen. si voluerit vicarium suum in valle seu vallibus de Andorra prout consuevit habere. Qui vicarius exerceat et faciat ea que consuevit facere seu exercere in hominibus de Andorra antequam dictus Comes haberet justicias ab hominibus dicte vallis. Predicta autem divisio pecunie fiat deductis expensis de tota quantitate condempnacionis et composicionis. In omni autem casu. omnia jura censualia exitus redditus seu proventus seu alias obvenciones que Urgellen. Episcopus Canonica et Ecclesia Urgellen. recipiunt seu consueverunt recipere usque modo pro predictis in valle seu vallibus de Andorra. ipsi et eorum successores recipiant in futurum pacifice et quiete sine aliqua contradiccione predicti Comitis et vicarii ac bajuli eiusdem. Excepta la Treva deu quam Episcopus consuevit recipere. de qua fiat quemadmodum sicut de ceteris criminibus. Hec eadem intelligantur pro Comite Fuxen. de hiis que consuevit recipere in dictis hominibus pro predictis quod ea amodo libere habeat et recipiat. Nec per hanc presentem seu novam composicionem prejudicium aliquod generetur Episcopo Urgellen. nec Canonice et successoribus suis. nec Comiti Fuxen. vel successoribus suis circa hec vel in hiis que quilibet iam recipiebat in predicta valle seu vallibus et hominibus de Andorra. Set quilibet ea recipiant pacifice et quiete sine aliqua contradiccione alterius sicut retroactis temporibus recipere consueverunt exceptis supius declaratis. Dimissio autem et remissio facta hominibus dicte vallis per predictum Comitem de intestia exorquia et cugucia racione justiciarum rata permaneat imperpetuum. Item pronunciaverunt quod quilibet predictorum dominorum habeat hostes et cavalcatas in hominibus de Andorra. Excepto quod unus contra alterum habere non possit dictos homines. Item fuit pronunciatum seu ordinatum per predictos amicabiles compositores quod predictus nobilis Comes Fuxen. et omnes successores sui teneant in feudum imperpetuum pro Episcopo Urgellen. et successoribus suis quicquid habet et recipit et habere seu recipere debet in valle seu vallibus et hominibus de Andorra. Et ea teneat pro Ecclesia Urgellen. Teneant etiam idem Comes et omnes successores sui imperpetuum ad feudum vallem de Sancto Johanne. Et castrum (?) ... cum omnibus pertinenciis suis. pro Episcopo et successoribus suis et Ecclesia Urgellen. Excepto Castro de Chor quod numquam intelligatur de feudo. Et pro predictis vallibus de Andorra et de Sancto Johanne. faciat imperpetuum idem Comes homagium predicto domino Episcopo. Et idem teneantur facere omnes successores sui Episcopo et omnibus successoribus suis pro predictis. Item pronunciaverunt seu ordinaverunt predicti amicabiles compositores quod dictus nobilis Comes Fuxen. et successores sui imperpetuum teneant in feudum vallem de Cabaho cum omnibus pertinenciis suis pro Episcopo et Ecclesia Urgellen. et successoribus suis. Ita tamen quod dictus nobilis Comes Rogerius Bernardi non teneatur facere homagium in vita sua tantum Episcopo Urgellen. pro valle de Cabaho. Set sibi dimittat Episcopus Urgellen. dictum homagium in vita dicti Comitis tantum ob honorem et amorem dicti Comitis. Omnes autem successores dicti Comitis teneantur facere homagium pro predicta valle de Cabaho omnibus Episcopis qui pro tempore fuerint in dicta Ecclesia Urgellen. Nec per hoc aliquod prejudicium generetur in futurum Episcopo vel Episcopis seu Ecclesie Urgellen. quia presens Episcopus ob honorem dicti Comitis dimittit sibi homagium supradictum. Nec hoc successores dicti Comitis aliquo tempore allegare possint contra Episcopum et Ecclesiam Urgellen. Set semper faciant homagium pro predicta valle de Cabaho Episcopo Urgellen. ut supius dictum est. Promittit etiam dictus Comes pro se et omnibus successoribus suis. dare potestatem fidelem ad bonam consuetudinem Barchinone. de omnibus Castris seu fortitudinibus que sunt vel in futurum construentur in predicta valle de Sancto Johanne et terminis suis. Et post mortem suam de omnibus que sunt et fuerint in predicta valle de Cabaho et terminis suis. Predicta vero omnia feuda teneant dictus Comes Fuxen. et successores sui ad feudum honoratum pro Episcopo et Ecclesia Urgellen. Ita quod nullum servicium teneantur inde facere. exceptis homagio et potestatibus ut supius est expressum. Item pronunciaverunt et ordinaverunt predicti amicabiles compositores. quod ea jura redditus seu proventus que nunc Episcopus et Capitulum Urgellen. tenent et possident vel recipiunt in predictis vallibus de Sancto Johanne et de Cabaho. amodo eadem habeant et recipiant pacifice et quiete. nec intelligantur esse de feudis cum sint propria alodia Ecclesie Urgellen. Item pronunciaverunt seu ordinaverunt predicti amicabiles compositores super la Rocha Vassa quod si dominus Episcopus Urgellen. hostenderit quod predecessores dicti Comitis dederint seu diffinierint dictam Rupem Vassam Episcopo vel Ecclesie Urgellen. In hoc casu ipse Episcopus possit construere vel facere fortitudinem in dicta Rupe nisi dictus Comes hostenderit quod donacio seu diffinicio predicta non valeat. Et de hoc capitulo cognoscant simpliciter et de plano. Nobiles Raimundus de Urgio et Isarnus de Fanjaus et Guillelmus Raimundi de Josa vel duo eorum. Et ipsum Capitulum diffiniant usque ad festum Natalis domini proximo venturum. Item ordinaverunt predicti amicabiles compositores quod Episcopus et Capitulum Urgellen. faciant excambium sive permutacionem. Castrum de Montferrer et locum Padriwll (?) cum predicto Comite. Et ipse Comes det Episcopo et Capitulo Urgellen. pro predictis locis. Castrum et locum de Ribas de Vocres (?). Et Castrum et locum de Adreny. Et si plus valent loca predicta que sunt Ecclesie Urgellen. quam ea que idem Comes permutat. assignet et det ei dictus Comes illam minguacionem in aliis locis seu redditibus ad cognicionem et arbitrium dictorum nobilium Raimundi de Urgio et Isarni de Fanjaus et Guillelmi Raimundi de Josa vel duorum ipsorum. Et si plus valent loca predicta que sunt dicti Comitis quam ea que idem Episcopus permutat eidem Comiti. assignet et det dictus Episcopus illam minguacionem in aliis locis seu redditibus ad cognicionem et arbitrium dictorum nobilium Raimundi de Urgio et Isarni de Fanjaus et Guillelmi Raimundi de Josa vel duorum ipsorum. Promittit etiam dictus dominus Episcopus predicto nobili Comiti Fuxen. sub pena mille solidorum Malgurien. quod ipse perficiet cum Capitulo suo quod dictum excambium sive permutacio fiat hinc ad proximum festum pascharum domini. Et nisi hoc perficeret. amittat dictam penam mille solidorum Malgurien. quam habeat dictus Comes. Qua soluta post mortem tamen dicti Comitis Ecclesia Urgellen. possit hedifficare Castrum de Montferrer seu reficere sine aliqua contradiccione successorum dicti Comitis. Salvo tamen in hoc casu ipsi Comiti jure suo si quod habet in Castro de Montferrer predicto. Diffiniunt enim et absolvunt dominus Episcopus et Capitulum Urgellen. predicto nobili viro domino Comiti Fuxen. et successoribus suis imperpetuum omnes peticiones questiones seu demandas quas contra eum movebant seu movere poterant usque in presentem diem ... Et specialiter diffiniunt et absolvunt dicto Comiti et successoribus suis imperpetuum. quicquid juris habebant seu intendebant habere in Castris de Saleno (?) et de Calenda et de Cintrina (?) et de Larg (?) et terminis suis et in quibuscumque aliis locis seu castris que dictus Comes hodie possidet et tenet ... Ita quod amodo nullam questionem demandam seu molestiam faciant Episcopus et Capitulum Urgellen. in predictis contra predictum Comitem vel successores suos. Renunciantes etiam omnibus causis et litibus motis et libellis oblatis contra dictum Comitem ... seu jam movent in curia Romana ... coram judicibus delegatis vel subdelegatis quam coram ordinariis vel quibuscumque. Imponentes sibi super predictis perpetuum silencium. Faciendo inde pactum predicto Comiti et suis de non agendo amodo seu etiam de non petendo. Aliqua vero bona Episcopi et Capituli Urgellen. commissa fuerint seu confiscata occasione alicuius criminis vel racione persone Arnaldi de Castrobono. Et Ermessendis filie eius. Illi ... et omni juri eis ex hoc adquisito sive competenti vel competituro ... et Ecclesie Urgellen. penitus renunciant Episcopus et Capitulum Urgellen. Absolventes nichilominus dictum Comitem et successores suos et bona eorum ... dampnis datis quocumque modo per predictum Comitem et predecessores suos Episcopo et predecessoribus suis et Capitulo et Ecclesie Urgellen. ac rebus eorum. Absolventes nichilominus omnes valitores et familias eorum ac familia dicti Comitis ... dampnis injuriis illatis Episcopo et Ecclesie Urgellen. et eius bonis racione dicti Comitis. Et viceversa predictus nobilis vir Comes Fuxen. pro se et suis diffinit et absolvit Episcopo et successoribus suis Capitulo et Ecclesie Urgellen. omnem questionem quam contra eos habebat. et omnes peticiones seu demandas ... movebat vel movere poterat quocumque modo vel jam fecit eis movere contra eosdem. Et specialiter renunciat peticionibus quas faciebat in castris de Montella et de Bosquera (?) et Archavel (?). Et in villa Sedis in qua petebat lo Caner ... et quatuor fornacias ... Furno. Et in omnibus aliis ... que hodie tenet et possidet Episcopus et Capitulum et Ecclesia Urgellen. De quibus omnibus imponit sibi et suis perpetuum silencium. Faciendo inde pro se et suis perpetuum pactum de non petendo Episcopo et Capitulo et Ecclesie Urgellen. et successoribus suis. Predicta autem ... [illegible] ... instrumenta que confirmentur per summum Pontificem. Et hoc faciat ... suis propriis expensis. Que confirmacio summi pontificis sit completa usque ad quatuor annos. Et ad hoc faciendum obligavit se dictus Episcopus et obligavit Ecclesiam et bona ipsius sub pena Cinquaginta milium solidorum Malgurien. Quam penam habeat dictus Comes nisi usque ad predicta tempora dominus papa confirmaverit supradicta. Et de hoc dat fideiussorem illustrissimum dominum Regem Aragon. Et si contingerit vacare Ecclesiam Romanam quod non esset ibi papa illud tempus vacacionis de medio subducatur nec computetur in predictis quatuor annis. Fuit tamen ordinatum per predictos quod Comes Fuxen. mittat procuratorem suum ad curiam Romanam qui diligenter petat confirmacionem predictorum simul cum procuratore Episcopi Urgellen. Et ipse Comes suo procuratori provideat in expensis. nec aliquam maliciam interponat Comes Fuxen. seu eius procurator. Quod si faceret pena predicta a parte Episcopi minime committatur. Item fuit pronunciatum per predictos quod dictus Comes reddat Episcopo et Capitulo Urgellen. Castrum de Aquaroca (?) cum omnibus pertinenciis suis. Et absolvat omnia illa loca seu castra et homines ab omnibus homagiis et fidelitatibus que fuerint dicto Comiti obligata per Episcopum et capitulum Urgellen. pro mille et quingentis marchis argenti. Et quod restituat instrumentum quod inde habet. Item fuit ordinatum per predictos quod mortes et interfecciones hominum tam militum aliorum quam rusticorum. Et destrucciones castrorum et mansorum hinc inde ab utraque parte facte sive per predecessores suos. sint diffinite imperpetuum ab utraque parte. Hec sit pax perpetua inter nobilem Comitem Fuxen. et suos. Et Episcopum et Capitulum Urgellen. et suos. Insuper nos P. divina miseracione Episcopus Urgellen. damus nobili Rogerio Bernardi Comiti Fuxen. et vicecomiti Castriboni. fideiussorem pro pena Cinquaginta milium solidorum Malgurien. quod dominus papa confirmabit et corroborabit omnia et singula supradicta hinc ad quatuor annos. predictum excellentissimum dominum P. dei gratia Regem Aragonum. Quia fideiussionem ... sine dolo. renunciantes epistole divi Adriani ... Obligantes nichilominus nos dominus Rex et Episcopus Urgellen. predicta ... vobis dicto Comiti Fuxen. et vestris omnia bona nostra et ecclesie ... Nos P. dei gratia Rex Aragon. per nos et nostros libenter facimus et concedimus vobis Comiti Fuxen. predicto ... Nos P. divina miseracione Episcopus Urgellen. per nos et totum Capitulum Sedis Urgellen. presens et futurum et per omnes successores nostros predicta omnia et singula prout expressa sunt ... Urgellen. mobilia et immobilia habita et habenda. Nos siquidem Rogerius Bernardi dei gratia Comes Fuxen. et vicecomes Castriboni per nos et omnes successores nostros. Promittentes alter alteri cum hoc eodem instrumento publico juramento vallato quod contra predicta vel eorum aliquid non veniemus nec aliquis vel aliqua veniet pro nobis ... sunt supius notata et tanguntur hic de verbo ad verbum singulariter ... Ex certa sciencia nostra et alterius nostrum. Concedimus laudamus approbamus et confirmamus in omnibus et per omnia. Promittentes alter alteri cum hoc eodem instrumento publico juramento vallato quod contra predicta vel eorum aliquid non veniemus nec aliquis ... ut consensu ... quod presens composicio ... impediri vel revocari valeat seu in aliquo revocari. Sine ex certa sciencia nostra et alterius nostrum predicta omnia et singula rata et firma et incorruptibilia spondemus tenere et habere irrevocabiliter inperpetuum. Et in predictis omnibus et singulis renunciamus scienter nos Episcopus Urgellen. et Comes Fuxen. predicti omni juris beneficio tam canonici quam civilis divino etiam vel humano et omnibus constitucionibus et exceptionibus tam juris quam facti scriptis et non scriptis nobis vel alteri nostrum competentibus vel competituris aliquo modo sive causa. Juramus nichilominus nos et alter nostrum ad sacrosancta quatuor dei evangelia et crucem domini coram nobis posita et tacta omnia et singula firmiter tenere et observare et in nullo contravenire sic nos et alterum nostrum deus adjuvet et hec sancta dei evangelia. Nos siquidem Rogerius Bernardi dei gratia Comes Fuxen. et vicecomes Castriboni incontinenti facimus homagium vobis domino P. divina miseracione Episcopo Urgellen. ore et manibus secundum usaticum Barchinone. Actum est hoc. Sexto Idus Septembris. Anno domini Millesimo Ducentesimo Septuagesimo Octavo. Signum nobilis viri domini Rogerii Bernardi dei gratia Comitis Fuxen. et vicecomitis Castriboni. Jurantis et homagium facientis. Signum domini P. dei gratia Regis Aragonum fideiussoris supradicti. qui hoc concedimus et firmamus rogamus.

¶ Ego Petrus dei gratia Urgellen. Episcopus. premissa juramus et firmamus. ¶ Ego Johannes Pelagii Urgellen. sacrista ... ¶ Ego ... Urgellen. subscribo. ¶ Ego ... Ermengaudi archidiaconus Urgellen. subscribo.

¶ Ego Jacobus Johannis archidiaconus Urgellen. subscribo.

Ego ... Urgellen. subscribo. Ego Pedesorra (?) ... Urgellen. subscribo. ¶ Ego Martinus Petri ... Urgellen. subscribo. Ego Johannes ... Capellanus Sancti Odonis subscribo. Signum ... Urgellen. canonici. Ego ... Urgellen. canonicus subscribo. Ego Bernardus de Copis (?) Urgellen. ... subscribo. Ego Raimundus Bernardi Urgellen. canonicus subscribo. Signum ... Urgellen. canonici. Ego ... canonicus Urgellen. subscribo. Ego P. de Bosora (?) canonicus Urgellen. subscribo.

¶ Ego Jacobus de Angeso (?) canonicus Urgellen. subscribo. Ego Petrus de Fonte Urgellen. canonicus hoc firmo. Ego Bartholomeus Johannis canonicus Urgellen. subscribo. Ego P. ... Urgellen. canonicus subscribo. Signum ... canonici ... Ego ... de Urgio canonicus Urgellen. subscribo. Ego Petrus de Bellopodio ... publicus Sedis Urgellen. mandato ... Urgellen. subscribo et firmo. Ego ... Urgellen. canonicus subscribo. Ego ... canonicus Urgellen. subscribo.

Ego Petrus de Bellopodio capellanus Sancti Nicholai et testis subscribo. Ego Bartholomeus Damiani clericus pro teste subscribo.

Signum Guillelmi de Ponnta (?). Signum Poncii de Ripellis. Signum Bernardi de Anglaria. Signum Guillelmi de Mercano (?). Signum Petri Paschasii. Signum ... de Vilamur jurisperiti. Signum nobilis Raimundi de Palars (?). Signum Arnaldi de Vilamur ... Celsone. Signum Ferrarii de Ardeny (?). Signum Guillelmi de Penercio (?). Signum Petri de Terrens (?) militis. Signum Guillelmi de Starnes (?). Signum Bernardi de Exilaro (?). Signum ... de Lupana (?). Signum Bernardi de Pla de Solsona. Signum ... de Aser (?). Signum Xarbin de Barberano. Signum Poncii dei gratia Episcopi Celsone. Testium firmamenti concessionis juramenti et homagii domini Rogerii Bernardi dei gratia Comitis Fuxen. et vicecomitis Castriboni supradicti. et firmamenti etiam concessionis et juramenti domini P. dei gratia Episcopi Urgellen. predicti. Qui dominus Episcopus et canonici supradicti ... suis manibus propriis subscripserunt coram me notario et Petro de Bellopodio capellano Sancti Nicholai et Bartholomeo Damiani clerico testibus supradictis. Signum domini Xarbin dei gratia Episcopi Valentini. Signum Raimundi de Orchau (?) qui cum dicto Poncio Episcopo Celsone sunt testes firmamenti et concessionis domini P. dei gratia Regis Aragon. fideiussoris supradicti qui hoc firmavit et concessit v. Idus Septembris anno supius denotato.

Signum mei Arnaldi de Vallesperanza notarii publici Ilerden. qui predictis omnibus interfui publicavi et scripsi cum suprapositis ... in ... linea ... et in xxi. linea ... et in ... linea ...

Entre les papiers

N°1 Bareages

A Controverse

N. 2 & Confirmation des dits

B Bareages par les papiers

Martin

N° 3 Vuydy etc. fol. 1 2 & c.

C Jacob &c